

nigro, seu violaceo, facta confessione cum celebrante, ibit cum suis assistentibus ad sedem suam, quæ debet esse parata ex panno violaceo, non autem ex serico.

2. Cum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, ante Orationem, Episcopus veniet ad faldistorium ante altare, et ibi ad *Oremus* genuflectet capite detecto, sic manens usque ad finem Orationis. Qua finita, redibit ad sedem suam, et tunc, et non prius, Presbyter assistens ibit ad scabellum assistentiæ.

3. Ad Offertorium Episcopus, more solito ministrante naviculam Presbytero assistente, imponet thus in thuribulum, dicens *Per intercessionem, etc.*, et thurificatis oblatibus et altari, thurificabitur celebrans a Diacono, et Episcopus a Presbytero assistente, more solito.

4. Dicto *Sanctus, etc.*, Episcopus ibit ad faldistorium, ubi genuflexus permanebit usque ad *Agnus Dei* exclusive; et tunc redibit ad sedem, et dicet *Agnus Dei, etc.*, cum suis assistentibus, non percutiendo pectus, nec fiunt in hac Missa circuli; et iterum ad Orationem post Communionem redibit ad faldistorium, et genuflectet, similiter omnibus genuflectentibus, quoties Episcopus genuflectet.

5. Finita Oratione, Episcopus redibit ad sedem, et non dabit benedictionem: nec publicabuntur Indulgentiæ.

6. Finita Missa, si sermo habendus sit, sermocinator accedet, et absque aliqua benedictionis petitione, facta tantummodo altari reverentia debita et Episcopo, ibit ad pulpitum, ubi sermonem recitabit. Quo finito, si Episcopus voluerit ipse absolvere, deposita cappa apud sedem, capiet amictum supra rocchetto, sive super cottam, si sit Regularis, crucem pectoralem et stolam, et demum pluviale nigrum, et mitram simplicem, et omnia fient, quæ superius in *præcedenti Capite* dicta sunt. Si vero Episcopus absolvere ipse noluerit, vel hujusmodi Missæ non intersit, celebrans, finita Missa, et lecto Evangelio secundum Joannem, faciet omnia, prout in *Cap. xxxvii. hujus Lib. ii.*

CAPUT XIII.

Quæ servanda in Vesperis et Missis solemnibus in Adventu Domini. Episcopus, si Missam solemnem celebret, paramenta apud sedem sumere potest. Subdiaconus Epistolæ, Diaconi assistentes, Diaconus Evangelii utuntur planetis violaceis plicatis ante pectus. Color paramentorum Episcopi et Canonicorum sit violaceus. Episcopus in Missa non dicit Pax vobis, sed Dominus vobiscum. Subdiaconus cantat Epistolam sine planeta. Diaconus item Evangelium, sed cum alia convoluta. Subdiaconus reassumit planetam post cantatam Epistolam, Diaconus vero post communionem Episcopi. Quid præstandum ab Episcopo, si Missæ assistat. Paramenta in tertia Dominica Adventus violacea sint, sed sumptuosiora. Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella in Dominica quarta Adventus, si in ea occurrat Vigilia Nativitatis Domini.

1. In Vesperis et Missis solemnibus in singulis Dominicis Adventus, eadem omnia servabuntur, Episcopo celebrante, vel non celebrante, quæ superius expressa fuerunt, dum generaliter de his disseruimus, exceptis tamen infrascriptis.

2. Quia primum Ecclesia, altare et chorus simpliciori apparatu ornantur. Item, celebrante Episcopo Missam solemnem, non erit opus paramenta sacra pro Missa sumere in sacello, seu secretario supra memorato, sed apud sedem suam, ubi cappa indutus, incipit Tertiam; et incepto primo Psalmo, sedet, accipit sandalia, legit Psalmos et Versiculos ac Orationes consuetas, et in fine cantat Orationem pro Tertia, Canonico Presbytero assistente, librum supra caput tenente in suo habitu Canonicali.

3. Subdiaconus cantaturus Epistolam, paulo ante quam Episcopus in chorum veniat, capiet omnia paramenta sibi

convenientia, præter manipulum et planetam ante plicatam, quæ capiet postea.

4. Diaconi assistentes capiunt sua paramenta, id est planetam ante plicatam supra cottam, vel rocchetto circa finem Tertie, antequam Episcopus cantet Orationem, et cum eis Diaconus cantaturus Evangelium, qui accipit amictum, albam, cingulum et stolam.

5. Dum prædicti Diaconi assistentes parantur, assistunt Episcopo duo alii Diaconi, illis proximi, in suo habitu Canonicali, et in eorum defectum, duo ultimi Presbyteri.

6. Finita Tertia, præfati duo Diaconi assistentes cum Diacono cantaturo Evangelium, jam parati, revertuntur ad Episcopum, dum lavat manus, ministrante Presbytero assistente in habitu Canonicali.

7. Episcopus autem, postquam laverit manus more consueto, accipit paramenta consueta, quæ esse debent violacei coloris. Subdiaconus et Diaconus capiunt manipulos et planetas ante pectus plicatas, et tunc pariter omnes Canonici capiunt in suis locis paramenta, ipsis convenientia, ejusdem coloris.

8. Episcopus ante Orationem dicit *Dominus vobiscum*, non autem *Pax vobis*. Subdiaconus, dum Episcopus celebrans cantat ultimam Orationem, deposita planeta, accipit librum Epistolarum, et cantata Epistola, osculataque manu Episcopi, planetam reassumit.

9. Diaconus, ante primum Alleluia post Graduale, deponit et ipse suam planetam, quæ convolvitur, vel alia jam convoluta et complicata super ejus sinistrum humerum ponitur, et super ejus brachio, stricte cordulis, ad id aptatis, colligatur, ne decidat, et sic permanet, quousque Episcopus sumpserit sacram communionem. Tunc reassumit planetam ante pectus plicatam, deposita alia, quæ erat super humerum sinistrum. Cætera omnia fiunt, prout in suis locis explicatum fuit.

10. Si vero Episcopus non celebret, sed intersit Missæ solemnæ, eadem observantur, quæ in *Cap. xi. hujus Lib. ii.*

de Missa solemnæ, quæ coram Episcopo celebratur, dicta sunt.

11. In tertia Dominica eadem observantur, nisi quod paramenta altaris et celebrantis adhiberi solent aliquanto sumptuosiora, sed coloris violacei, in defectu rosacei; et ministri, videlicet Diaconus et Subdiaconus, utuntur dalmatica et tunicella; et idem in quarta Dominica, quando in ea incidit Vigilia Nativitatis Domini; sed paramenta sint coloris absolute violacei. In Collegiatis pariter idem observatur.

CAPUT XIV.

Missæ solemnæ celebrandæ usus in vigilia Nativitatis Domini, si occurrat in Dominica. Vesperæ solemnæ statis horis ea die peragendæ. Præparanda pro Matutinis et Missa in nocte Nativitatis. Matutinum quomodo celebrandum. Episcopus quando et a quibus accipiet sandalia. Nonam Lectionem cantat. Ubi induatur paramentis Missalibus, et Matutinum perficiat. Quid in Missa de nocte cantanda, observare debeat.

1. In die Vigiliæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, sive venerit in Dominica, sive alio die, celebrari solet Missa solemnæ in paramentis violaceis, juxta regulas in *præcedenti Capite* de Dominicis Adventus traditas, hoc tantum excepto, quod Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella, prout in tertia Dominica Adventus.

2. Hora Vesperarum cantantur Vesperæ solemnæ, pariter secundum regulas superius in *Cap. i. hujus Lib. ii. et sequenti* de Vesperis positas.

3. Nocte sequenti, hora competentis, prout ab Episcopo fuerit præordinatum, celebrantur Matutinæ, prout in *Cap. v. ejusdem Lib. ii.* de Matutinis dictum fuit. Hæc tamen particularius in his Matutinis observanda erunt. Primo ultra

luminaria solita altaris et abaci, præparanda erunt sex, vel octo funalia cereæ albæ, vel quot erunt necessaria pro consuetudine et dispositione loci ad illuminandum chorum et tribunalum, seu Presbyterium, quæ super totidem candelabris ferreis magnis, spatiis æqualibus inter se distantibus, collocabuntur: præparabuntur etiam aliquot parvæ candelæ albæ pro Episcopo, et Canonicis cantaturis Lectiones.

4. Super aliqua mensa, separata ab abaco, collocari poterunt paramenta omnia pro Episcopo, Missam celebraturo, et pluviale album pulchrius pro eodem, cantaturo Orationem in fine Nocturnorum. Sed si Episcopus non erit celebraturus primam Missam, non erunt ibi præparanda Missalia indumenta, sed tantum pluviale: nam alius, celebraturus Missam, sive Prælati, sive Canonicus, capiet paramenta in sacristia una cum suis ministris, sed celebraturo Episcopo, ipsi ministri, id est Diaconus et Subdiaconus, utique in sacristia parari poterunt; Presbyter autem assistens in loco suo una cum cæteris Canonicis in choro.

5. Item celebraturo primam Missam Episcopo, præintonatur Hymnus *Jesu, Redemptor omnium, etc.*, quem dum Episcopus repetit, elevat et jungit manus, caput versus altare inclinans, ob reverentiam divinæ invocationis.

6. Cæremoniarius, quoties ducit aliquem Canonicum ante pulpitum, seu legile nudum, ubi cantare debet Lectionem, gerat manibus parvam candelam, nec ab ipso legili longius discedat, donec cujusque Nocturni Lectiones recitatae fuerint.

7. In tertio Nocturno, cum dicitur a choro Psalmus *Misericordias Domini, etc.*, si Episcopus est primam Missam celebraturus, duo ex suis scutiferis, clericali habitu indutis sine cottis, subeuntes fimbrias cappæ Episcopalis, imponent illi caligas et sandalia, sublevantibus fimbrias in gyrum Capellani, seu Acolythis, cottis superindutis, ac genuflexis: interim accedunt duo Canonici assistentes

ad Episcopum, necnon duo Capellani, alter de libro, alter de candela serviens, ac librum apertum ante Episcopum sustinent, ex quo ipse Episcopus legit Antiphonam *Ne reminiscaris, Domine, etc.*, et Psalmum *Quam dilecta, etc.*, cum cæteris Psalmis, Versiculis et Orationibus, prout supra Cap. VIII. hujus Lib. II. §. VII. explicatum fuit. Quibus per Episcopum lectis, duo illi Canonici assistentes, ac alii ministri recedunt.

8. Diaconus et Subdiaconus ministraturi in Missa, nisi quis eorum, vel ambo sint cantaturi Lectiones ultimi Nocturni, præveniunt ad sacristiam, ubi capiunt sua paramenta. Advertatur tamen, ut tempus commode dispensetur, hoc est, ut finitis tribus Psalmis ultimi Nocturni a choro, pariter Episcopus se expedierit a Lectione Psalmorum, et Orationum prædictarum, ut præsto sit ad absolutionem *A vinculis peccatorum, etc.*, dicendam, benedictionemque dandam Canonico cantaturo primam Lectionem tertii Nocturni.

9. Cantata nona Lectione per Episcopum, ad quem iterum duo assistentes Diaconi in suo habitu choralis debent accedere, et Hymno *Te Deum laudamus, etc.*, per eum inchoato, eo modo, quo in dicto Cap. V. Lib. II. §. XI. de Matutinis dictum fuit, Episcopus descendens paululum e sede, in plano solii Pontificalis deponit cappam, et stans lavat manus, accedentibus tunc et adjuvantibus Diacono et Subdiacono paratis; et ab eisdem induitur paramentis Missalibus, aliquanto celerius solito, præter chirothecas, et annulum, et tunicellam, ac dalmaticam et planetam, cujus loco induitur pluviali; denuo sedem ascendit, ubi stans sine mitra, expectat finem Hymni prædicti, qui decantari poterit prolixiori nota, et cum organi interpositione; ut commodius interim Episcopus et omnes Canonici indui possint suis paramentis. Quo finito, accedunt duo Acolythis cum candelabris et cereis accensis, et medius inter eos alter de libro serviens Episcopo, adherente alio cum candela parva accensa, qui versus populum cantat

Dominus vobiscum, deinde versus altare *Oremus*, junctis manibus, deinde *Orationem Concede, quæsumus, etc.*, cum sua conclusione: et iterum repetito *Dominus vobiscum*, dum chorus cum organo prosequitur lente *Benedicamus Domino*, et *Deo gratias*, ipse, deposito pluviali, stans accipit tunicellam et dalmaticam, et sedens chirothecas: deinde stans planetam, et rursus sedens mitram pretiosam, et ultimo loco anulum, demum accedit ad infimum gradum altaris pro Missa inchoanda.

10. Quæ Missa in omnibus et per omnia celebratur, prout in prædicto *Cap. VIII. hujus Lib. II* explicatum fuit, excepto quod, cum in Missa cantatur a choro *Versiculus Symboli Et incarnatus est, etc.*, Episcopus cum mitra apud sedem suam, et cæteri in propriis locis genuflectere debent usque ad terram, hac nocte, et die sequenti in Missa majori, prout etiam in die Annuntiationis.

11. Episcopus vero non sumet purificationem, et in fine post benedictionem non dabit Indulgentiam, quia in tertia Missa, quam omnino cantabit Episcopus in die, erit Indulgentia publicanda. Cætera omnia, ut in supradictis capitibus, tam celebrante, quam non celebrante Episcopo, respective, erunt observanda.

12. In Laudibus tandem, quæ post hanc Missam solemniter cantari debent, servantur omnia, quæ in superiori *Cap. VII. hujusmet Lib. II.* præscripta leguntur.



CAPUT XV.


In festis a die Nativitatis ad Purificationem, major vel minor solemnitas servanda, juxta qualitatem festi. In die Circumcisionis Domini Episcopus Missæ intersit, paratus pluviali. In die Epiphaniæ, si poterit, ipse celebret. Hac die festa mobilia prænuntiantur post Evangelium. Servanda ab Episcopo in aliis festivitibus.

1. Festa, quæ occurrunt post diem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi usque ad diem Purificationis beatæ Mariæ Virginis, celebrabuntur magis, vel minus solempniter, prout Episcopo videbitur, juxta qualitatem festi, et consuetudinem loci.

2. In die tamen Circumcisionis Domini Episcopus debet interesse Missæ, paratus cum pluviali.

3. In die vero Epiphaniæ deberet ipse celebrare, si poterit, quod valde conveniens esset. Quo die, cantato Evangelio, aliquis Canonicus, vel Beneficiatus, aut alius, juxta consuetudinem loci, paratus pluviali, ascendet ambonem, vel pulpitem, et ibidem populo publicabit festa mobilia anni currentis in forma, prout in Pontificali Romano.

4. In aliis vero festivitibus prædictis poterit Episcopus interesse cum cappa, vel prout ipsi melius videbitur, et omnia servabuntur, quæ superius expressa sunt in *præcedentibus Capitibus, nempe VIII. hujus Lib. II.* de Missa solemniter per Episcopum celebranda, et *IX. ejusdem Libri* de Missa, quæ coram Episcopo celebratur.



CAPUT XVI.

Quæ præparanda pro benedictione candelarum in festo Purificationis. Paramenta sint coloris violacei. Ordo procedendi per Episcopum ad benedictionem. Diaconi et Subdiaconi planetis plicatis ante pectus utantur. Quo ritu Episcopus benedictionem faciat. Quis Episcopo candelam benedictam tradat. Quo ordine Episcopus candelas distribuat. Cantanda in ipsa distributione. Præmittenda ante processionem. Candelæ quando accendantur. Ordo processionis. Paramenta Episcopi et ministrorum pro Missa sint alba, nisi in Dominicis Septuagesimæ et Quinquagesimæ Purificatio occurrat. Missa quomodo celebretur, assistente Episcopo. Quid servandum, si Episcopus ipse celebret.

1. Quia a Vigilia Nativitatis Domini nullæ occurrunt festivitates, quæ in Vesperis et Missis quoad cæremonias indigeant speciali declaratione, cum ex regulis in superioribus capitibus traditis, et aliis generalibus, quæ in libro superiori abunde explicata fuerunt, sumi possint: videndum est de festo Purificationis B. M. V. in quo plura adhuc, neque in Missali, aut Pontificali Romano declarata, recensenda veniunt.

2. Præparanda igitur in primis erit candelarum ceræ albæ ea copia, quæ sufficiens videbitur pro Ecclesiæ qualitate, ac Canonicorum, aliorumque de gremio Ecclesiæ numero, nec non et pro laicis, quibus juxta consuetudinem Ecclesiæ distribui soleant. Hæ omnes collocari poterunt super aliqua mensa inter altare et sedem Episcopi, ita ut Episcopus in sua sede stans, commode possit eas aspergere et thurificare post illarum benedictionem.

3. Paretur etiam abacus, juxta consuetum, a latere Epistolæ, super quo ponantur ultra duo candelabra cum luminaribus, et alia consueta et ordinaria, quæ superioribus capitibus demonstrata fuerunt, nempe vâs aquæ benedictæ

cum aspersorio, thuribulum cum navicula, vasa ad ablendum manus cum medulla panis, mantile ad extergendum, mappa altera linea pulchre laborata, apponenda super gremio Episcopi, cum incipit candelas distribuere.

4. Super altari ponentur per Sacristam paramenta pro Episcopo, suo ordine, coloris violacei, videlicet amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, pluviale, et mitra simplex: ipsum vero altare habeat duo pallia, videlicet alterum album, et supra illud alterum violaceum, removendum post processionem; nisi festum venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, ut infra dicemus.

5. Deputentur custodes, qui populum arceant, si forte tumultuosius irrueret, ne indecenter Episcopum opprimat.

6. His præordinatis, hora competenti Episcopus in sua cappa a Canonicis associatus, veniet ad Ecclesiam, et facta oratione, accedet ad sedem suam, ubi deposita cappa, accipit paramenta suprascripta, suo ordine, afferentibus ea ab altari Acolythis, seu ministris, cottis indutis; acceptoque pluviali et mitra, sedet. Interim Canonici omnes in locis suis stantes, seu in Sacristia, si prope est, accipiunt sacra paramenta eis convenientia, prout superius declaratum fuit; eo excepto, quod Diaconi, aut Subdiaconi non quidem dalmaticis et tunicellis, sed planetis ante pectus plicatis in hujusmodi Officio utuntur, cum sit feriale; et si commode paramenta haberi nequeant pro omnibus Canonicis, quatuor, aut sex digniores saltem, induantur pluvialibus, ut ibidem dictum fuit.

7. Quibus paratis, Episcopus in dicta sua sede, deposita mitra, stans, benedictionem candelarum faciet, Capellano, qui ei de illo servit, librum sustinente manibus; incipiens competenti voce in tono feriali benedictionem, dicit *Dominus vobiscum* cum Orationibus, prout in Missali: et respiciens aliquantulum versus candelas. Cum incipit ultimam

Orationem, accedunt ad eum duo Acolythy, unus cum thuribulo et navicula, alter vero cum vase aquæ benedictæ, et aspersorio.

8. Finita benedictione, Episcopus, ministrante naviculam Presbytero assistente parato, qui tunc cum præfatis ministris accedit, imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito: deinde, accepto aspersorio de manu ejusdem assistentis, aspergit in medio, a dextris, et a sinistris ter candelas, et ab eodem accipiens thuribulum, simili modo ter illas thurificat; tum sedet accepta mitra, et dignior Canonicus paratus, accipit de manu Sacristæ, sive Camerarii candelam pulchre ornatam, et cum debita reverentia illam osculatam dat in manu Episcopi, quam pariter osculatur; Episcopus vero illam tradit alicui ex suis Capellanis tenendam prope altare.

9. Tunc elevatis hinc inde fimbriis pluvialis Episcopi per Diaconos assistentes, ponitur super ejus gremio per duos Capellanos mappa prædicta, et statim per Capellanos, sive Acolythos, capiuntur de mensa, sive de manu Camerarii, aut Sacristæ, aut alterius ad eam curam deputati, candelæ grandiores pro Canonicis, et porriguntur ad manus Diaconi assistentis ad sinistram Episcopi, qui illas continuo ministrat Episcopo, eodemque tempore dignior ille Canonicus, pluviali indutus, facit reverentiam, primo altari, deinde Episcopo, ascendit ad eum, et accipit ab eo candelam, osculando illam, et manum Episcopi reverenter; et tunc cantores incipiunt cantare Antiphonam *Lumen ad revelationem gentium, etc.*

10. Similiter et alii Canonici, parati ordine suo, accipiunt candelas: post eos Magistratus et Officiales majores civitatis, deinde alii Presbyteri, Acolythy et Clerici de gremio Ecclesiæ, et Capellani Episcopi, cottis induti: demum alii nobiles civitatis, nisi adesset laudabilis consuetudo, ut clerici omnes tam parati, quam cum cottis, acciperent candelas ante laicos, quæ servanda esset, et familiares ipsius Episcopi, et alii de populo, quibus, et quot Epi-

sopo placuerit dare; non tamen mulieribus, quæ a seniore Dignitate, vel Canonico cum cotta et stola parato, seorsum illas accipiunt.

11. Sed Canonici parati non genuflectunt ante Episcopum, quando capiunt candelas, sed tantum profunde inclinant: alii vero Ecclesiastici cum cottis, et laici genuflexi, capiunt, et manum Episcopi cum candela osculantur.

12. Interim aliquis de Capitulo, ad quem spectat, si Episcopo placuerit, et sit consuetudo Ecclesiæ, seorsum distribuit candelas minutiores populo utriusque sexus.

13. Finita distributione, Episcopus, portante lances nobili, seu scutifero, lavat manus more solito, prout supra de Missa dictum fuit, et amovetur de ejus gremio mappa prædicta; et interim cantores cantant *Exurge Domine, etc.*, cum Psalmo, et repetita Antiphona, ipse surgit, deposita mitra, et versus altare cantat *Oremus*, et si fuerit post Septuagesimam, et non in Dominica, Diaconus assistens a dextris dicit alta voce *Flectamus genua*, et omnes genuflectunt; alter a sinistris *Levate*, et omnes surgunt, et Episcopus cantat Orationem *Exaudi, quæsumus Domine, etc.* cum sua conclusione, prout in Missali, accedentibus Acolythis cum candelabris, ut alias.

14. Qua finita, sedet, et accipit mitram, et iterum imponit incensum in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente et Acolytho, ut supra.

15. Interim accenditur candela Episcopi, quam tenet ejus Cubicularius, seu Capellanus, ut supra, et pariter omnium aliorum; maxime de clero, nisi a principio fuissent accensæ; et ordinatur per Cæremoniarium processio circumcirca Ecclesiam, vel alias juxta ritum Ecclesiarum, in qua, post dictum a primo Diacono assistente *Procedamus in pace*, alta et sonora voce versus populum, et responso a choro *In nomine Christi. Amen*, ante crucem præcedit thuriferarius, et ante thuriferarium cantores; post thuriferarium duo Acolythy cum candelabris, et cereis ardentibus, et inter eos medius Subdiaconus, paratus pla-

neta ante pectus plicata super albam sine manipulo, portans crucem; post crucem Beneficiati, et alii de clero cum cottis bini: et post eos Canonici parati, pariter bini, et mox Episcopus cum mitra, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, pluvialis latera elevantes, omnesque suas candelas accensas manibus propriis deferentes; Episcopus suam candelam sinistra gerit, et dextera benedicit. Quod si erit Archiepiscopus, crux portabitur solummodo ante Canonicos tantum.

16. Interea, dum fit processio, Canonicus, aut alius Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono, capiunt sua paramenta convenientia, id est albi coloris; et Diaconus et Subdiaconus accipiunt dalmaticam, tunicellam; pariter mutantur paramenta altaris et sedis Episcopalis, et amovetur abacus, et loco illius ponitur mensula, ut supra suo loco dictum fuit esse faciendum, non celebrante Episcopo.

17. Sed si hujusmodi festum veniret in Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ, non mutantur paramenta altaris, nec Episcopi, sed remanent eadem violacea; et Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella, quia fit Missa de Dominica, secundum regulam in Rubricis Missalis, sub hoc festo positam, et candelæ amplius non accenduntur, neque ad Evangelium, neque ad elevationem SS. Sacramenti.

18. Finita processione, et Canonici chorum ingressi deponunt paramenta, et candelas extinguunt.

19. Episcopus vero, cum pervenerit ad altare, ante infimum gradum, si Missa fiat de festo, deponit pluviale et paramenta violacea, et accipit alba, et incipit confessionem, stante a sinistris ejus celebrante, aliquanto retro ipsum Episcopum. Missa vero continuatur, prout in *Capite* ix. *hujus Lib.* ii. de Missa, quæ coram Episcopo celebratur, excepto, quod, dum inchoatur Evangelium, Episcopus et omnes capiunt suas candelas accensas in manibus usque ad finem Evangelii, et iterum ad elevationem SS. Sa-

cramenti eas tenent accensas usque post Communionem; si vero fieret Missa de Dominica, ut supra, candelæ non accenduntur.

20. Sed si Episcopus vellet etiam Missam celebrare, quod convenit, præcipue si festum Purificationis sit Titulus Ecclesiæ, non movetur abacus, et Episcopus stans, incipit Tertiam, ut alias, deinde accipit caligas et sandalia, et legit Psalmos *Quam dilecta*, etc. et omnes Orationes sequentes; tum lavat manus, et deposito pluviali, cingulum album et stolam albam accipit, cingulo ac stola violaceis depositis, tum tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, mitram, annulum et baculum pastorem, ut supra in *Cap.* xiv. § ix. *hujus Lib.* ii. de Vigilia Nativitatis Domini, etc. Canonici etiam in reditu a processione debent eo casu, depositis paramentis violaceis, accipere alba, et illa retinere per totam Missam.

21. In reliquis, ut supra, et Missa celebratur cum cæremoniis et solemnitatibus, prout in *Cap.* viii. *hujus Lib.* ii. de Missa solemnibus, Episcopo celebrante.

CAPUT XVII.

In Cathedralibus, absente Episcopo, et in Collegiatis, quæ præparanda pro benedictione candelarum in festo Purificationis. Quis benedictionem faciat. Candelæ quomodo distribuuntur. Processio quomodo fiat. Candelæ quando accendantur.

1 Absente Episcopo, etiam in Collegiatis paretur altare, ut in *præcedenti Capite* dictum est: candelæ vero benedictæ collocentur in cornu Epistolæ super aliqua parva mensa; ibidem ponatur vas cum aqua benedicta et aspersorio, ac thuribulum cum navicula et incenso; et hora competentis, id est, dicta Tertia, Canonicus hebdomadarius, sive Dignitas, vel alius, ad quem de consuetudine Ecclesiæ

celebrare spectat, paretur in sacristia amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violaceo, una cum duobus aliis Canonicis habitu Diaconali et Subdiaconali, ejusdem coloris indutis, excepto manipulo, videlicet, cum planetis plicatis ante pectus; et considentibus omnibus aliis Canonicis habitu Canonicali indutis, hinc inde in locis suis, una cum Beneficiatis, seu Mansionariis, et clericis, accedet dictus Canonicus celebraturus cum ministris, et transeundo salutatur hinc inde chorum; ac inde, facta reverentia altari cum genuflexione, si ibi aderit SS. Sacramentum, sin minus cum profunda capitis inclinatione, ascendet ad altare, et ibidem in cornu Epistolæ stans, assistentibus Diacono et Subdiacono, benedicet candelas, prout in Missali, et finita ultima Oratione, celebrans, ministrante Diacono, imponet thus in thuribulum; quo imposito, accipiet de manu ejusdem Diaconi aspersionem cum aqua benedicta, et candelas asperget; et mox accepto thuribulo, triplici ductu illas thurificabit. Quo facto, retrahet se ante medium altaris, renes eidem vertens, et stabit medius inter Diaconum et Subdiaconum.

2. Tunc primus Sacerdos de choro, sive Vicarius, sive Dignitas, vel Canonicus, accepta una ex candelis benedictis, illam cum debita reverentia deosculatam dabit in manu celebrantis, qui illam tradet alicui Capellano tenendam, et statim ministrante Diacono, ipse celebrans stans, incipiet distribuere candelas, primo eidem digniori, deinde Diacono et Subdiacono paratis, si sint Canonici; mox aliis omnibus Canonicis per ordinem, habitu Canonicali indutis, qui bini accedent ad celebrantem, et inclinati ab eo candelas accipient, quas acceptas deosculabuntur.

3. Beneficiati vero, seu Mansionarii, et clerici, et cæteri omnes, similiter bini accedent, et genuflexi candelas accipiant, illas, ac etiam manus celebrantis deosculantes.

4. Cum inchoatur distributio candelarum, cantores incipient Antiphonam *Lumen ad revelationem gentium*, etc.

5. Circa finem distributionis Magister cæremoniarum cu-

ret, ut accendantur candelæ pro processione, quæ fiat per Ecclesiam, ut in *precedenti Capite* dictum fuit: et interim, dum fit processio, removeatur paramentum violaceum ab altari, et remaneat album, nisi hujusmodi festum venerit in Dominica Septuagesimæ, vel Sexagesimæ: quo casu fiat, ut dictum est in *Capite precedenti*.

6. Finita processione, Canonici chorum ingressi, extinguunt candelas, et celebrans, qui stat medius inter Diaconum et Subdiaconum, ante infimum gradum altaris, facta debita reverentia altari et choro, retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi deposito pluviali, capiet planetam albam seu violaceam, juxta regulam superius traditam, similiter et ministri dalmaticam et tunicellam ejusmodi coloris, et inchoabitur Missa, quæ juxta solitum perficietur, in qua hoc solum erit speciale, quod Canonici, et cæteri de choro, dum cantatur Evangelium, accendunt candelas, et illas accensas tenent usque ad finem Evangelii, et iterum ad Elevationem usque post Communionem.

